

Lichenologische Beiträge von Dr. J. Müller.

XVIII.

(Fortsetzung.)

612. *Arthopyrenia* (Massal. emend.) Müll. Arg. Principes de classific. des Lich. et Lich. de Genève p. 88 (exclus. sect. 2), includens *Arthopyreniam* Mass. Ric. p. 165 (1852), *Acrocordiam* Mass. Gen. p. 17 (1854), et *Leptoraphidem* Körb. Syst. p. 371. Thallus crustaceus, gonidia glomerulose subchroolepoideo-seriata, viridia, pariete distincto praedita; apothecia in thallo absque stromatibus distinctis sita, pyrenocarpica, apice demum poro aperientia v. subaperientia; thalamum pseudoparaphysibus varie connexo-ramosis formatum; sporae hyalinae, varie transversim divisae, loculi ad disseppimenta recte truncati.

Species hucusque notae fere omnes corticolae, nullae epiphyllae, in regionibus praesertim tropicis sat numerosae. Thalli gonidia vulgo elongata, depauperato-concatenata, rarius sat regulariter globosa et tum plus minusve moniliformi-concatenata, primum tamen frequenter in glomerulum conglomerata, cujus elementa postea facile in series breves v. etiam subinde elongatas solvuntur, viridia v. subinde in aurantiacum nonnihil vergentia, semper membrana bene distincta praedita extusque demum saepe gelatinoso-tumentia. Apothecia omnium hucusque cognitarum nigra, magnitudine, situ, forma et structura saepe in eadem naturali sectione insigniter ludentia; nucleus undique hyalinus; paraphyses ob consistentiam firmam, etiamsi tenuissimae, vulgo facilime recognoscuntur, sed in nonnullis speciebus (in sect. *Anisomeridio*) thalamum circa apicem ascorum facile rumpitur et paraphysium ramuli ibidem libenter elongati et tum liberi facile pro paraphysibus liberis sumi possent, at dissectiones perpendiculares (valde tenues) apotheciorum tum ramificationem et nexus copiosum paraphysium clare demonstrant. — Hic connoxus paraphysium dein criterium est quo *Arthopyrenia* tota a variis sectionibus *Porinae* distingui potest. — Conf. infra ad observat. post characterem novum generis *Porinæ*.

613. *Arthopyreniae* sect. *Euarthopyrenia* Müll. Arg. Lich. de Genève p. 89; genus *Arthopyrenia* Mass. Ric. p. 165 pr. p., Körb. Syst. p. 366 et Par. p. 386. Gonidia globosa v. subglobosa, glomerulosa, dein in series valde depauperatas aut et gonidia solitaria soluta sunt et insuper adsunt melanogonidia longius

serialia; paraphyses molliusculae pro genere crassiusculae et plus minusve superne constricto-subarticulatae, saepe tantum rudimentarie evolutae, nunquam tamen omnino deficientes, minus copiose quam in sectionibus reliquis ramoso-connexae; sporae ambitu clavato-obovoideae, medio mox constricto- et distracto- 1-septatae, loculi, saltem in quodam stadio evolutionis, ad latera utrinque plus minusve lyrato-repandi, integri v. in aliis speciebus iterum iterumve transversim divisi. — Sporae in hac sectione vulgo membrana gelatinea crassa cinctae sunt sed huic characteri potius physiologico nihil generici inesse videtur, qui in eadem planta inque eodem apothecio caeterum variabilis observari potest.

Hujus loci sunt species europaea sub *Arthopyrenia* ab auctoribus enumeratae et japonica: *A. Ikounensis* Müll. Arg. Lich. Japon. n. 29.

614. *Arthopyreniae* sect. *Mesopyrenia* Müll. Arg. Omnia ut in sect. *Euarthopyrenia*, sed gonidia vulgo magis oblongata et melanogonidia nulla; paraphyses rigidulo-firmae, at tenellae, magis intricatim ramoso-connexae, non constricto-subarticulatae. — Haec sectio praecedentem et s. *Acrocordiam* optime conjungit.

* Apothecia dimidiata.

615. *Arthopyrenia* (s. *Mesopyrenia*) *leucochlora* Müll. Arg. Thallus ectophloeodes, albido-virens, tenuis, effusus, continuus et laevigatus, mox rimulosus; gonidia depauperato-serialia et subsolitaria, globosa, diametro 8μ aequantia, saepius nidulanti-conglomerata, viridia; apothecia circ. $\frac{2}{10}$ mm. lata, dimidiata, hemisphaerica, nigra, nitidula, apice aequali demum pertusa, inferne crassiuscule thallino-vestita, basi utrinque subincurva; nucleus albus; paraphyses juniores valde intricatim connexo-ramosae, demum laxe connexae, tenellae et firmae; asci late clavati, 8-spori; sporae in ascis irregulariter 2-serialis, hyalinae, aequaliter 2-loculares, juniores angustae, evolutae ovoideo-ellipsoideae, 12μ longae et 6μ latae. — Species melanogoniidis endophloeodeis caret, thallo toto epiphloeode nec inter cellulas corticis nidulante, sporis pro genere ambitu demum latis et abbreviatis distincta, caeterum e minutie apotheciorum ad *A. atomariam* et *A. Ikounensem* Müll. Arg. accedens, juxta *Arthopyreniam Cinchonae*, s. *Verrucariam Cinchonae* Ach. Syn. p. 90 locanda est. — Corticola in America septentrionali prope New Bedford, unde benevole misit cl. H. Willey.

616. *Arthopyrenia* (s. *Mesopyrenia*) *convexella* Müll. Arg. Thallus tenuis, mox denudatus, lacteus v. albidus, linea nigra cinctus; gonidia seriata, breviuscula; apothecia $\frac{3-4}{10}$ mm. lata, dimidiata, primum velata, dein nuda v. inferne irregulariter thallino-vestita, perithecium hemisphaericum, alte convexum, vertice demum minute umbilicatum; nucleus hyalinus; paraphyses intricatim connexae; asci 8-spori; sporae in ascis subbiseriales, hyalinae, circ. 21 μ longae et 6—8 μ latae, 2-loculares, loculi lateraliter leviter sed distincte repandi. — Ab affini *A. planorbi*, s. *Verrucaria planorbi* Ach. Syn. p. 92 differt apotheciis minoribus, nudis, non deplanatis et sporis minoribus. — Corticola prope Apiahyn Brasilia: Puiggari n. 1004.

617. *Arthopyrenia* (s. *Mesopyrenia*) *indusiata* Müll. Arg. Thallus cum epidermide quasi maculam cinereo-albidam effusam formans; gonidia chroolepoidea, pauca; apothecia pro sectione majuscula, $\frac{3}{4}$ — $\frac{5}{4}$ mm. lata, orbicularia, valde depressa, 3-plo latiora quam alta, dimidiata, nigra, extus velamine thallino tenuissimo subtranslucenti indusiata et nigro-cinerascentia facta; paraphyses copiosae, connexo-ramosae; asci 8-spori; sporae in ascis biseriales, hyalinae, 25—32 μ longae, cum halone 7—11 μ latae, 2-loculares, loculi ad latera saepe distincte repandi. — Corticola ad Morro del Oro prope Apiahyn Brasilia: Puiggari n. 1388.

* * Apothecia depresso-globosa, basi completa sed plus minusve attenuata.

618. *Arthopyrenia* (s. *Mesopyrenia*) *Nieteriana* Müll. Arg. Thallus epidermide mox rupta quasi maculam albam subfarinosam nigro-cinctam formans; gonidia serialia breviuscula; apothecia $\frac{5-6}{10}$ mm. lata, basi tenuiore completa v. basi subinde deficiens et dimidiata, nigra, hemisphaerico-convexa, vertice late pyramidalis-acutato foveolata, nonnisi basi rotundato-obtusa thallinotecta, caeterum undique nuda et pure atra et nitidula; paraphyses copiosae et tenellae at parcus quam vulgo in affinibus connexo-ramosae; sporae octonae in ascis irregulariter biseriales, hyalinae, circ. 22—30 μ longae, 6—9 μ latae, 2-loculares, utrinque rotundato-obtusae, loculi lateraliter repandi. — Species in sectione sat speciosa, apothecia majuscula, nigra et solitarie densiuscula in thallo albo dispersa. — Corticola in Ceylonia: Nietner n. 30 (ex hb. Hampeano).

619. *Arthopyrenia* (s. *Mesopyrenia*) *ceylonensis* Müll. Arg.,
Verrucaria ceylonensis Leight. Lich. Ceyl. n. 174, t. 37. fig. 40.
 Thallus albus v. albidus, laevis, subfarinosus, nigro-limitatus;
 gonidia chroolepoidea, cellulae oblongatae; apothecia solitaria
 et simul 2—3-natim confluentia, $\frac{4}{10}$ mm. lata, depressiuscula,
 basi completa sed distincte tenuiora, undique nigra, basi circum-
 circa extrorsum producta et facile in pseudostromata conflu-
 entia, praeter verticem acutiusculum nigrum et nitidum thallino-
 velata; paraphyses copiosae, intricatim connexo-ramosissimae;
 ascii 8-spori; sporae in ascis imbricatum uniserialis, hyalinae,
 2-loculares, circ. 25 μ longae et 6—8 μ latae, loculi lateraliter
 plus minusve distincte repandi. — In insula Ceylonia corticola:
 Thwaites n. 174.

620. *Arthopyrenia* (s. *Mesopyrenia*) *truncata* Müll. Arg. Thal-
 lus quasi maculam olivaceo-pallidam laevigatam margine linea
 valida nigra crispula cinctam per epidermidem perspicuum
 formans; gonidia depauperato-chroolepoidea, irregulariter ob-
 longata; apothecia $\frac{4}{10}$ mm. lata, integra, sed basi truncato-
 obtusa tenuiora, undique nigra, circiter pro $\frac{2}{3}$ altitudinis im-
 mersa, pars emersa nuda et nigra, convexa, superne autem
 latissime truncato-depressa et centro minute foveolata, sat facile
 2—3 confluentia; paraphyses laxe trabeculatim et arcuatim
 connexo-ramosae; ascii anguste cylindrici, 8-spori; sporae in
 ascis apposite uniserialis, hyalinae, 18—21 μ longae et 8 μ
 latae, 2-loculares, loculi lateraliter subrepandi. — Extus e longin-
 quo *Pyrenulam aggregatam* simulat, sed apothecia superne plano-
 depressa et sporae omnino aliae. Apothecia hinc inde gemina-
 tiv. etiam irregulariter seriatim confluentia et gregatim con-
 ferta et sparsa in eodem specimine occurunt. — Corticola
 prope Apiah in Brasilia: Puiggari n. 249.

621. *Arthopyrenia* (s. *Mesopyrenia*) *minuscula* Müll. Arg. Thal-
 lus cum cellulis corticis confusus maculam rosello-griseam v.
 e rosello pallidam effusam simulans; gonidia glomeruloso-chroo-
 lepoidea; apothecia $\frac{1}{5}$ mm. lata et minora, depresso-globosa,
 duplo latiora quam alta, basi 2—4-plo tenuiora, undique fusco-
 nigra, circiter semiimmersa, triente superiore et ultra a thallo
 nudata, rotundato-obtusa, nitidula; paraphyses tenellae, sat co-
 piouse connexo-ramosae; ascii cylindrici, 8-spori; sporae in ascis
 irregulariter biseriales, hyalinae, 12—16 μ longae et $3\frac{1}{2}$ —5 μ
 latae, 2-loculares et demum 4-loculares. — Corticola prope
 Apiah in Brasilia: Puiggari n. 2165.

622. *Arthopyreniae* sect. *Synpyrenia* Müll. Arg. Omnia ut in sect. *Mesopyrenia*, sed apothecia numerosa ex aggregato in stroma spurium confluentia. — Apothecia caeterum in eodem thallo etiam solitaria et geminatim aut subternatim confluentia. — Hujus loci est:

623. *Arthopyrenia* (s. *Synpyrenia*) *accumulata*; *Verrucaria accumulata* Krplh. Lich. bras. Glaz. p. 81. Apothecia $\frac{3}{20}$ mm. lata. Paraphyses superne praesertim arcuatim connexae, modice numerosae. Gonidia chroolepoidea. — Corticola prope Rio de Janeiro: Glaziou n. 5427.

624. *Arthopyreniae* sect. *Anisomeridium* Müll. Arg. Omnia ut in sectione sequente *Acrocordia*, sed sporae inaequaliter 2-loculares, loculus inferior superiore distincte aut multo brevior et multo minor.

625. *Arthopyrenia* (s. *Anisomeridium*) *xylogena* Müll. Arg. Thallus late effusus, tenuis, albus, verniceo-laevis; gonidia serialia subellipsoidea; apothecia $\frac{1}{3}$ mm. lata, globosa, completa, undique nigra, vertice emergentia, caeterum in ligno (emortuos) defossa, parte emersa convexa, nuda v. obscure thallino-velata; sporae in ascis biseriales, hyalinae, circ. 20 μ longae et 13 μ latae, ambitu late ovoideae, rectae, 2-loculares, loculus superior latior et subdupo longior. — A proxima *A. adnexa* differt apotheciis fere omnino innatis et thalo verniceo. — Lignicola prope Apiah in Brasilia: Puiggari n. 494.

(Fortsetzung folgt).

Einläufe zur Bibliothek und zum Herbar.

117. Washington. Annual of Report of the Commissions of Agriculture for 1881 and 1882. Washington, 1882.
118. Prag. Verein „Lotos“. Lotos, Jahrbuch für Naturwissenschaft. Neue Folge. 3. und 4. Band. 1883.
119. Prag. Königl. botanische Gesellschaft der Wissenschaften. Sitzungsberichte, Jahrg. 1881.
120. Prag. Königl. botanische Gesellschaft der Wissenschaften. Abhandlungen der mathem.-naturwiss. Classe 1881/82. VI. Folge. 11. Band. Prag, 1882.

Redacteur: Dr. Singer. Druck der F. Neubauer'schen Buchdruckerei
(F. Huber) in Regensburg.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1883

Band/Volume: [66](#)

Autor(en)/Author(s): Müller J.

Artikel/Article: [Lichenologische Beiträge 286-290](#)